



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

VII. donis spiritus sancti. 12

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](#)

LIBER III.

oportebat seruauimus, hoc dignissimo sacrae vni-
ctionis istius sacramento expiatur.

De septem donis spiritus sancti.

Cap. XII.

Orro, ut & pars media, id est, anima suum
habeat ornatum, aptari & exornari eam se-
ptem donis spiritus sancti, ipsamque ad spi-
ritum sese conuertere oportet. Quod nimis fa-
ciendo beata efficitur, & septiformi gratia san-
cti spiritus repletur. Quia enim spiritus summae
Trinitati unitus existit, ideo semper amabilis
quædam gratia per illam unionem in animam
descendit, operante videlicet hoc ipsum spiritu
sancto, qui est artifex & aduocatus: qui & ani-
magno dono fortitudinis adornat, quo fortiter o-
mne prauum desiderium repellat & auersetur.
Et ideo donum istud specialiter vi concupiscibi-
li praestatur. Dono etiam consilij, quo eam instru-
it, qualiter pacata, mitis & humilis esse, vimq;
irascibilem, cui istud donum tribuitur, refrenare
debeat. Dono quoque intellectus, quo videlicet
intelligat, quid odire & quid non odire debeat.
Odire quippe malum perpetratum debet, & non
malum ipsum perpetrantem. Et ideo donum i-
stud odio impeditur. Dono etiam scientie, quo
intelligat & sciat quid amare teneatur, Deum vi-
delicet super omnia, & amicos in Deo, & inimi-
cos propter Deum. Atque ob hoc donum istud
amori assignatur. Sed & dono pietatis, quo vide-
licet pia sit atque deuota, & uniuersitate laetam
obsequiosamque se exhibeat, & prodesse con-
etur. Vnde & donum istud affectui gaudijs praesta-
tur. Dono insuper timoris domini, quo videlicet

Z V semper

MARGARITAE EVANG.

semper filialem habeat Dei sui timorem, ipm^q
magis ex amore, quam timore seruili, inferni vi
delicet vel similium reuereatur. Et ideo donum
istud timori impenditur. Demum & sapientia
dono, quo et tantam interius sapientiam infun-
dit, sicque omnem in ea pudorem inordinatum
extinguit, ut iam nequaquam erubescat nec ve-
reatur propalare laudem domini sui, quamlibe-
t ob hoc ab omnibus, & specialiter ab illis qui
subtiles sunt & intellectu curiosi, derideatur. Sic
que sapientiae, id est, sapidae scientiae dono respi-
tur, quod ipsum pudori tribuitur.

De octo beatitudinibus. Cap. XIII.

DEnique, ut & suprema pars, spiritus vide-
licet qui est nuda essentia anime, suo non
fraudetur ornatu, ipsum ab omnibus ima-
ginibus & formis esse nudum, & in originali pri-
cipio suo commorari, atque ab omni multiplici-
tate & tentationibus, quibus anima & corpus im-
pugnantur, liberum & expeditum manere oportet. Ideo namque & corpus nostrum spiritualiter ec-
clesiae militanti comparatur, eo quod continue-
quandiu viuit, a prauis inclinationibus suis im-
pugnatur. Anima autem ecclesiae vincenti com-
paratur, quia & carni resistere, & spiritui de-
bet obedire. Et spiritus ecclesiae triumphanti ad-
equatur, eo quod semper esse tranquillus, pa-
catus ac hilarius, et dominum Deum suum cum per-
fecta sui ipsius resignatione laudare debet. Qui ce-
tim omnia dederit, simul omnia recipiet. Argue
hoc modo spiritus noster paupertatis spiritus be-
atitudine ornandus est, de qua dominus ait: Bea-
ti pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum co-
lorum.

